An. et vol. XXXXIII 26 Mali 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 353 - Litterae Apostolicae, p. 362 - Epistulae, p. 369 - Allocutiones, p. 375 - Nuntius radiophonicus, p. 381.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 383 - *S. C. de Propaganda Fide*: Decretum, p. 384 - *S. C. Rituum*: Officium in festo Assumptionis B. M. V., p. 385.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 400.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 8 – 26 Maii 1951)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. CAGAYANA ET ZAMBOANGENSIS (Ozamisana). *Supremum nobis.* – A dioecesium Cagayanae et Zamboangensis territorio partes seiunguntur, quarum territorium in novam erigitur Praelaturam *nullius*, Ozamisanam appellandam. – 27 Ianuarii 1951 . . 353

II. DE CAQUETÀ (Florentiae - Laetitiae - Sibundoyensis). *Quo efficacius catholicae fidei propagandae.* – Vicariatus Apostolicus de Caquetà bipartitur et novus Vicariatus Apostolicus Florentiae nomine et Praefectura Apostolica Laetitiae appellatione eriguntur; nomen autem Vicariatus de Caquetà in Vicariatus Apostolici Sibundoyensis mutatur. – 8 Februarii 1951 . . 356

III. DE BANGKA ET BILLITON (Pangkalpinangensis). *Si enascens.* – Praefectura Apostolica de Bangka et Billiton in Vicariatum Apostolicum Pangkalpinangensem appellandum evehitur. – 8 Februarii 1951 358

IV. GASPESIENSIS. *Cathedralia Canonicorum collegia.* – Canonicorum collegium in cathedrali Ecclesia Gaspesiensi erigitur. – 17 Februarii 1951 . 359

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Paterna caritas.* – Beata Virgo Maria ab Immaculato Corde totius dioecesis Leopoldinensis in Brasilia praecipua Patrona caelestis, insuper S. Antonius Maria Claret, E. C., et S. Teresia a Iesu Infante, V., eiusdem dioecesis Patroni secundarii proclamantur. – 1 Iunii 1950 . . 362

II. *Gravis saeculi.* – Beatissima Virgo Maria « a perpetuo succursu » praecipua Wilcanniensis dioecesis caelestis Patrona declaratur. – 6 Septembris 1950 363

III. *Magnum est moderari.* – Venerabilis Dei famula Placida Viel, Virgo, Instituti Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia Generalis antistita secunda, Beata renuntiatur. – 6 Maii 1951 364

EPISTULAE

I. *It has seemed.* – Ad Emum P. D. Normannum S. R. E. Card. Gilroy, Archiepiscopum Sydneyensem, ceterosque Archiepiscopos ac Episcopos Australiae dena lustra celebrantes a proclamatione Foederationis Statuum eiusdem Australiae. – 2 Aprilis 1951 369

II. *Catholicos novimus.* – Ad Emum P. D. Eugenium S. R. E. Card. Tisserant, Episcopum Ostiensem Portuensem et S. Rufinae, Sacri Collegii Decanum ac S. Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretarium, primo exeunte saeculo a Sodalitate SS. Cyrilli et Methodii condita. – 4 Aprilis 1951 371

III. *Le memorie.* – Ad Revmum P. D. Paulum Savino, Praelatum referendarium S. Tribunalis Signaturae Apostolicae et Pontificiae Academiae Ecclesiasticae Praesidem: anno CCL ab eadem Academia condita exeunte. – 14 Aprilis 1951 373

ALLOCUTIONES

I. Ad Delegatos Actionis Catholicae Italicae Romae coadunatos. – 3 Aprilis 1951 375

II. Ad christifideles, qui Romae convenerant ad beatificationem vigintiquinque Martyrum in Tonchino. – 2 Maii 1951 379

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Excmis PP. DD. Archiepiscopis et Episcopis cunctisque christifidelibus Africae meridionalis datus, constitutionem Hierarchiae Ecclesiasticae celebrantibus. – 29 Aprilis 1951 . . 381

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 383

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Pondicherien.-Calcutten. – Decretum. – De mutatione finium archidioecesium. – 8 Februarii 1951 384

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Urbis et Orbis. – Decretum. – Officium in Festo Assumptionis B. Mariae Virginis. – 27 Aprilis 1951 385

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis:

Buffalen. – Nullitatis matrimonii (Mc Combs-Bailey). – 7 Maii 1951 . . . 400

An. et vol. XXXXIII 26 Maii 1951 (Ser. II, v. XVIII) – N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

GAGAYANA ET ZAMBOANGENSIS (OZAMISANA)

A DIOECESIUM CAGAYANAE ET ZAMBOANGENSIS TERRITORIO PARTES SEIUNGUNTUR, QUARUM TERRITORIUM IN NOVAM ERIGITUR PRAELATURAM «NULLIUS», OZAMISANAM APPELLANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Supremum Nobis divinitus commissum munus apostolicum, quo universam christianam rempublicam regere et moderari debemus, a Nobis exigit ut latissimum aliquando dioecesium quarumdam territorium dispertire, novasque erigere dioeceses decernamus, sollerti aliorum Antistitum regimini et pastorali curae concredendas. Quo moti consilio lubentissime annuendum censuimus venerabilium Fratrum Iacobi Thomae Hayes, Episcopi Cagayani, et Aloisii Del Rosario, Episcopi Zamboangensis, enixis Nobis oblatis precibus, qui, considerantes in suarum dioecesium peramplo territorio, ad sui gregis in dies crebriori frequentiae opitulandum et ad pietatis operum copiam conservandam augendamque non amplius unius vel vigilantissimi Pastoris curam sufficere posse; neque coeterum esse amplius cur Zamboangensis dioecesis litorale detineat civilis provinciae vulgo *Lanao* spatium, quo Cotabatensi, in Praelaturam *nullius* nuper erectae, uniebatur provinciae; imo peropportunum esse provinciae *Lanao* fines unitati restituere, expostulaverunt ut ab Apostolica Sede civilium provinciarum vulgo *Misamis Oc-*

cidentalis et *Lanao* territorium in Praelaturam *nullius* erigi decernatur. Nos itaque, audita favorabili sententia venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titulo Myrensis et in Insulis Philippinis Delegati Apostolici, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel aliorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a territorio dioeceseos Cagayanae totam civilem provinciam vulgo *Misamis Occidentalis* et partem quae ad eamdem dioecesim pertinet provinciae *Lanao* seiungimus; a dioecesis vero Zamboangensis territorio aliam eiusdem provinciae *Lanao* partem distrahimus; ac totum hoc territorium, utramque civilem memoratam provinciam complectens, in Praelaturam *nullius*, Ozamisanam nomine appellandam, erigimus et constituimus. Novae huius Ozamisanae Praelaturae sedem in urbe vulgo *Ozamis* constituimus eiusque paroeciale templum, Deo in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. dicatum, ad Ecclesiae Praelatitiae gradum et dignitatem evehimus, cui eiusque pro tempore Praesuli iura omnia et privilegia tribuimus eisque onera et obligationes imponimus, quae praelatitiis ecclesiis earumque Praelatis ad iuris tramitem sunt adnexa. Decernimus insuper ut Praelatura *nullius* Ozamisana metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu sit suffraganea eiusque pro tempore Praelati metropolitico Nominis Iesu Archiepiscopi iuri subiecti sint. Mensam autem praelatitiam constituent Curiae emolumenta et christifidelium oblationes. Iubemus tandem ut quam primum fieri poterit minus saltem seminarium, ad clerum indigenam instituendum, erigatur, ex quo electi iuvenes ad Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum in Urbe mittantur, ut ibi in spem Ecclesiae sub fere Romani Pontificis oculis educentur. Quod autem ad novae huius Praelaturae *nullius* Ozamisanae regimen, administrationem, ad clericorum et fidelium iura et onera, bona eamdem spectantia aliaque huiusmodi attinet, rite servari iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Documenta porro et acta novam Praelaturam respicientia a Curiis Cagayana et Zamboangensi ad Ozamisanam Curiam quamprimum mittantur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta perficienda venerabili quem supra memoravimus Fratri in Insulis Philippinis Delegato Apostolico munus committimus eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo

agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum; onusque imponimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die vicesima septima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

✠ Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

† A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 2. - Al. Trussardi.

II

DE CAQUETÀ
(FLORENTIAE - LAETITIAE - SIBUNDOYENSIS)

VICARIATUS APOSTOLICUS DE CAQUETÀ BIPARTITUR ET NOVUS VICARIATUS APOSTOLICUS FLORENTIAE NOMINE ET PRAEFECTURA APOSTOLICA LAETITIAE APPELLATIONE ERIGUNTUR; NOMEN AUTEM VICARIATUS DE CAQUETÀ IN VICARIATUS APOSTOLICI SIBUNDOYENSIS MUTATUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo efficacius catholicae fidei propagandae in Missionibus nimio territorio redundantibus consuli possit, haud dubie valde iuvat Missiones illas in partes dividere, aliasque Missiones condere aliis Evangelii satoribus concredendas. Hoc moti consilio venerabiles Fratres Nostri Cardinales S. Congregationi Fidei Propagandae praepositi, audita venerabilis Fratris Antonii Samoré, Archiepiscopi titulo Ternobeni et Nuntii Apostolici in Republica Columbiana, favorabili sententia, Nos rogaverunt ut Vicariatus Apostolici de Caquetà territorium ita tripertito dividere decernamus ut regio, quam vulgo vocant *Intendencia de Caquetà*, in Vicariatum Apostolicum *Florentiae* nomine constituatur, et regio quam vocant *Comisaria de Amazones* in Praefecturam Apostolicam *Laetitiae* nomine erigatur; Vicariatus vero de Caquetà ad regionem reducatur, quae *Comisaria de Putomayo* vulgo nuncupatur, eiusque nomen in Vicariatus Apostolici *Sibundoyensis* nomen mutetur, ex urbis nomine, in qua Ordinarius suam habet sedem; fines autem novarum circumscriptionum cum finibus conveniant suae cuiusque regionis, remanentibus tamen Vicariatui Apostolico Sibundoyensi districtibus vulgo *de Sancta Rosa* et *El Encano*. Nos itaque, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Venerabilium quos diximus Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositorum sententiam probare ratamque habere statuimus, ideoque, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi Vicariatum Apostolicum Florentiae ac Praefecturam Apostolicam Laetitiae erigimus et constituimus, et novum illum Vicariatum Instituto Missionum a Consolata, Praefecturam vero Ordini Fratrum Minorum Capulatorum, ad Nostrum tamen et Sanctae Sedis be-

neplacitum, concredimus; nomen insuper antiqui Vicariatus Apostolici de Caquetà in Vicariatus Apostolici Sibundoyensis nomen mutamus. Novo autem Vicariatui illi novaeque Praefecturae eorumque pro tempore Antistitibus omnia tribuimus iura, privilegia, potestates et facultates, quibus ceteri Vicariatus seu Praefecturae eorumque Praesules iure communi fruuntur, itemque eos omnibus obstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri obstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis aut excerptis, subscriptione et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam divisionis, erectionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei ausu temerario contraire liceat. Si quis vero id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die octava Februarii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 93. – Al. Trussardi.

III

DE BANGKA ET BILLITON (PANGKALPINANGENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE BANGKA ET BILLITON IN VICARIATUM APOSTOLICUM PANGKALPINANGENSEM APPELLANDUM EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si enascens inter ethnicas gentes Ecclesia quaedam, per sedulas Evangelii praeconum curas, non mediocre susceperit incrementum, solet Apostolica Sedes ad potioris dignitatis gradum illam evehere. Cum itaque Praefectura Apostolica de Bangka et Billiton in Indonesia, per Apostolicas Litteras *Cum propagationi* datas, die vicesima septima decembris mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo tertio, a Pio XI, Decessore Nostro, condita, postremis potissimum hisce annis, laetos tulerit evangelicos fructus, congruum sane visum est eam ad Vicariatus Apostolici gradum extollere. De venerabilium igitur Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositorum consilio, attenta quoque favorabili sententia venerabilis Fratris Georgii de Jonghe, Archiepiscopi titulo Misthiensis, in Indonesia Internuntii Apostolici, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Praefecturam illam de Bangka et Billiton in Vicariatum Apostolicum, Pangkalpinangensem, ex urbe ubi ipsius Ordinarius sedem habet, deinceps appellandum, erigimus et constituimus. Illum vero iisdem Societatis a Sacris Cordibus Iesu et Mariae, vulgo de *Picpus*, Sodalibus, qui tam sollerter in regione illa Christi regno propagando allaborant, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concreditum volumus. Novo autem huic Vicariatui Pangkalpinangensi eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, potestates et facultates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, illosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut ex-

cerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae iisdem hisce haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini tandem hanc paginam evectionis, erectionis, concessionis statuti et voluntatis Nostrae infringere liceat. Quod si quis hoc ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die octava Februarii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Coll. Proton. Ap.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 97. – Al. Trussardi.

IV

GASPESIENSIS

CANONICORUM COLLEGIUM IN CATHEDRALI ECCLESIA GASPESIENSI ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cathedralia Canonicorum collegia, iuxta codicis normam, ad hoc potissimum constituta sunt, ut Sacrorum Antistitum senatum, clericorum nempe coetum efficiant, qui et sollemniorem in ecclesiis cultum Deo exhibeant et Episcopis praesto sint consilium poscentibus eorumque vices gerant, sede vacante, in dioecesis regimine. Ad unam autem Apostolicam Sedem spectat collegia illa erigere.

Cum itaque venerabilis Frater Albinus Leblanc, Episcopus Gaspesiensis supplices Nobis porrexerit preces, ut Canonicorum collegium in sua cathedrali Ecclesia constitueretur, Nos, audita venerabilis Fratris Hildebrandi Antoniutti, Archiepiscopi titulo Synnadensis et in Ditione Canadensi Delegati Apostolici, favorabili sententia,

atque de consilio Venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis S. Congregationis Consistorialis a Secretis, suppleto, quatenus opus sit, aliorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine in cathedrali Ecclesia Gaspesiensi Canonicorum collegium erigimus et constituimus.

Una ipsum constabit Dignitate, scilicet Decanatu, atque novem Canonicis, quorum alter erit Canonicus Theologus, alter vero, si fieri poterit, Canonicus Paenitentiarius erit.

Tum Dignitatis cum Canonicatuum donatio, etiam prima vice, fiet ad iuris communis normam. Indulgemus tamen ut, quousque congrua canonicalis praebenda constituta non fuerit, canonici ad canonicatum electi altero beneficio, etiam cum curatione animorum coniuncto, potiri possint.

Concedimus insuper ut divinum officium in choro persolvatur tantum in Commemoratione B. M. V de Monte Carmelo, die nempe sextadecima Iulii mensis, et in festo S. Ioannis Brébeuf et Sociorum Martyrum Canadensium, die videlicet vicesima sexta Septembris mensis, data facultate dioecesis Ordinario convocandi Capitulum ad officium divinum persolvendum in diebus feriatis quotiescumque alterutrum quod diximus festum in diem dominicum inciderit.

Cum autem non parum deceat ut qui in Episcopi consilium ac senatum asciscuntur quibusdam condecorentur insignibus, statuimus ut Dignitas et Canonici, intra fines propriae dioecesis dumtaxat et in sacris ritibus capitularibus, vestem talarem nigram adhibeant cum fimbriis violacei coloris, rochetum cum reflexu violaceo in manicis, mozetam violacei coloris et, iuxta temporum opportunitatem, cappam violacei coloris, pellibus armellineis aut rubris sericis ornatam.

Quoad insuper cetera omnia quae Canonicorum Collegium attinent, officia scilicet, munera, iura et privilegia, adamussim serventur normae iuris communis; proindeque, ad exsecutionem Nostris hisce Litteris demandatis, ipso facto Consultores dioecesani a suo munere cessabunt. Volumus denique ut quam primum capitulares constitutiones, ad iuris normam et secundum quae supra a Nobis statuta sunt, conficiantur, quas ab Episcopo adprobatas ab omnibus Capitularibus religiose adservari iubemus.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta perficienda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in ditione Canadensi Delegatum Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Delegationi praeerit, delegamus, eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agi-

tur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, ipsique onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar transmittendi. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, statuti, concessionis, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignatione omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima septima Februarii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
CLEMENS Card. MICARA
S. Collegii Subdecanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 1. – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BEATA VIRGO MARIA AB IMMACULATO CORDE TOTIUS DIOECESIS LEOPOLDINENSIS IN BRASILIA PRAECIPUA PATRONA CAELESTIS, INSUPER S. ANTONIUS MARIA CLARET, E. C., ET S. TERESIA A IESU INFANTE, V., EIUSDEM DIOECESIS PATRONI SECUNDARII PROCLAMANTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Paterna caritas, qua Christifideles omnes complectimur, Nos admonet ut eorum bono spirituali atque emolumento, quantum in Domino possumus, consulamus. Hac profecto de causa, cum edoceamur a Venerabili Fratre Delphino Ribeiro Guedes, Episcopo Leopoldinensi, eius dioecesim, novissime a Nobismet Ipsis canonice constitutam, nullum adhuc proprium caelestem Patronum habere, Nos eorundem fidelium pietatem confirmare potissimum volentes, pio huiusmodi praesidio illam libenter obtegendam censemus. Rettulit autem Praesul ipse Christicolas suos Beatam Mariam Deiparam Virginem ab Immaculato Corde tam constanti ac flagranti pietate prosequi, ut cum Clerus tum populus Deiparam ipsam sub praefato titulo eiusdem dioeceseos Patronam praecipuam apud Deum pro Nostra benignitate renuntiari quam maxime exoptarent. Enixas insuper adhibuit Ordinarius idem preces ut duos quoque caelestes Patronos secundarios addere dignaremur, Sanctam nempe Teresiam a Iesu Infante, Virginem, et Sanctum Antonium Mariam Claret, Episcopum et Confessorem, cui Caelitum honores nuperrime tribuimus. Quibus omnibus mature perpensis, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, ad augendam in Brasiliana ista novissima dioecesi erga Virginem Mariam et Dei Famulos fidelium pietatem, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, Beatam Virginem Mariam ab Immaculato Corde totius Leopoldinensis dioeceseos in Brasilia praecipuam apud Deum *Patronam*, nec non Sanctum Antonium Mariam Claret, Episcopum et Confessorem, et Sanctam Teresiam a Iesu Infante, Virginem, eiusdem dioecesis *Patronos secundarios*, omnibus ac singulis liturgicis privilegiis adiectis quae locorum Patronis rite competunt constituimus, facimus ac declaramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas

atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Iunii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

II

BEATISSIMA VIRGO MARIA « A PERPETUO SUCCURSU » PRAECIPUA WILCANNIENSIS DIOECESIS CAELESTIS PATRONA DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Gravis saeculi iactati procellis vel admissorum obruti magnitudine, mortales viam salutis aptiorem non expediunt quam Caelestem Matrem Mariam inclamando eique haerendo cum sincera fide. A qua enim omne speratur auxilium, a qua nullum non exsistit praesidium, hanc maiorum nostrorum pietas « a Perpetuo Succursu » rectissime nuncupavit. Hoc igitur nomine eadem Virgo Deipara in dioecesi Wilcanniensi, ut accepimus, instantius solet compellari atque certa percoli religione. Quo eum ipsum cultum satius proveheret et amplificaret, Venerabilis Frater Thomas Martinus Fox, hodiernus Episcopus Wilcanniensis, vota quoque universi Cleri sibi crediti depromens, Nobis supplicavit, ut Beatissimam Virginem Mariam, titulo illo honestatam, suae dioeceseos praecipuam apud Deum Patronam renuntiare dignaremur. Nos vero, tam sanctum consilium non modo probantes sed Nostro etiam oraculo volentes confirmare, expostulationes huiusmodi ex animo statuimus audire. Quocirca, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum *Beatissimam Virginem*

Mariam « a Perpetuo Succursu » praecipuam dioecesis Wilcanniensis Caelestem apud Deum *Patronam* constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus regionum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Septembris, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

III

VENERABILIS DEI FAMULA PLACIDA VIEL, VIRGO, INSTITUTI SORORUM SCHOLARUM CHRISTIANARUM A MISERICORDIA GENERALIS ANTISTITA SECUNDA, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Magnum est moderari hominibus cum consilio ac virtute, nam, quemadmodum ait Sanctus Gregorius Pp. I, Decessor Noster, « sit rector operatione praecipuus, ut vitae viam subditis vivendo denuntiet » (*Reg. past.*, III; *P. L.*, LXXVII, 28). Ii enim, quibus est praepositus quisquam, non solum iussis atque hortationibus informandi sunt ad probitatem, sed etiam exemplum, idque in primis, ab eo ducant oportet. Antistitam ergo extollamus, Placidam Viel, quae sororum sibi creditarum ea fuit perfectrix, ut in Beatorum Caelitum fastos non immerito foret referenda. In regione Galliae, posita ad Oceanum Britannicum, Victoria, Eulalia, Iacoba, cui postea inter sanctimoniales cooptatae nomen Placida, die vicesima sexta mensis Septembris, anno millesimo octingentesimo quinto decimo, nata est ex Hervaeo Viel et Anna La

Lande, undecim filiorum parentibus, qui, agrorum cultione vitae rationibus consulentes, summum bonum collocabant in sanctis maiorum institutis. Eodem die sacra abluta baptismate, illis, cum adolesceret, obsequi studebat, qua in virtute ratio regendi optima solet inhaerere. Quamvis esset parum erudita, ea tamen doctrina, quae in consequenda sanctitudine versatur, multis coepit piissima puella antestare. Postquam caelestis epuli primum particeps effecta est, in divinarum rerum meditatione magis magisque erat defixa, a qua minime se abstrahebat, licet operam daret arti vestium conficiendarum. Nihil proinde mirandum, quod, superno quodam, ut videtur, acta invitamento, pagum natalem, quem « Quettehou » appellant, eumque praediorum amoenitate formosissimum, virgo annorum duodeviginti reliquit, nomen datura Instituto Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia, cuius est puellarum persequi disciplinam atque officia caritatis. Cum igitur e complexu parentis, propter quam aspexerat hanc lucem, se evellisset, aliam in coenobio « Saint-Sauveur-le-Vicomte » matrem invenit, Sanctam dicimus Mariam Magdalenam Postel, Congregationis illius auctorem, quae ad vitam caelestem quandam ducendam eius animum composuit. Itaque, procul habita a saeculi tumultu, summum omnium negotium, sanctimoniae adeptionem, ita institit, ut brevi emicaret pietate, moderatione, verecundia. Biennio post rite sumpta veste religiosa ac nomine Placidae sibi imposito, tirocinium est ingressa, senior quam florens eius ferebat aetas. Facta coquae administra, religioni habuit illiberales eiusmodi subire labores et in omnibus exercere animi facilitatem atque lenitudinem. Die tandem vicesima prima mensis Septembris, anno millesimo octingentesimo duodequadragesimo, votorum sponsione Deo obligata, a Matre Maria Magdalena, quae instinctu quodam divino afflatuque praesagierat hanc muneri suo esse successuram, gravia officia recepit. Quo ipsa ac nonnullae sociae doctrinis amplius expolirentur, in locum « Argentan » profectae sunt, ubi in scholam magistris instituendis convenirent, praeposita ceteris Sorore Placida quod ad religiosae vitae exercitationem. Postquam in urbe Abrincis ludum atque officinam aperuit pro puellis, haec, annum agens septimum et vicesimum, iussa est noviciis virtutis disciplinam adhibere. Sed longe maius negotium virgo timidior neque multum in rebus atque usu versata mox suscepit. Cum enim sacra turris, non ita pridem denuo exstructa, ex foeda tempestate concidisset ruina, atque aedes continens coenobio « Saint-Sauveur-le-Vicomte » etiamtum esset diruta et eversa, Famula Dei, antistita auctore, regiones vel longinquas peragravit, ut stipem cogeret ad opera reficienda. Anno igitur millesimo octingentesimo quadragesimo

quarto, Soror Placida asperum iter iniit; sed, nimio pavore offusa, constitit in limine lacrimansque ad moderatricis pedes se proiecit. Deus autem, a iacente et afflicta virgine exoratus, sic animum eius excitavit, ut strenue deinceps in publicum prodiret et Ecclesiae Institutique commodi causa alacris omnia experiretur. Urbes igitur et oppida patriae perlustrans, optimates et ipsam reginam adiit, a quibus pecuniam pro Salvatoris templo emendicaret. Quo tempore eius navitate et industria Lutetiae Parisiorum alia Congregationis sedes constituta est, a Beata Maria Virgine gementium solatrice nuncupata. Cum vero die sexta decima mensis Iulii, anno millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, Sancta Maria Magdalena Postel, aetate ac laboribus confecta, in lacrimabundarum sororum coetu, quas inter et Ancilla Dei fuit, vita excessisset, advocato sodalium concilio, haec, praeter exspectationem, cunctis fere suffragiis facta est antistita generalis, quamvis annos nata esset non nisi unum et triginta. Dei voluntati modestissime obtemperans, tantum munus suscepit, voluit autem, ut, donec pecuniae colligendae gratia peregrinaretur, Soror Maria, necessitudine sibi iuncta, ageret vicariae partes. Sculponeata vel nudis pedibus ambulans, iterum terebat vias, atque ostia humilium ac divitum pulsabat summa moderatrix mendicissima. Licet Germanorum esset expers sermonis, etiam Coloniam Agrippinam, Berolinum, ubi ad Borussiae regem est admissa, Vindobonam et pagum « Frohsdorf » petiit, ubi Henricum V convenit. Tot laborum fructum tandem assecuta est amplissimum, nam die duodetrigesima mensis Augusti, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo sexto, Episcopus Lucionensis Divini Salvatoris templum sartum tectum magna cum religione et caerimonia consecravit. Plurimum quoque Famula Dei annitebatur, ut nova sacrarum virginum conderet domicilia, unde factum est, ut in haud mediocre corpus excrescerent sodales. Anno millesimo octingentesimo undesexagesimo, Romam se contulit, ubi aditum habuit ad rec. mem. Pium Pp. IX, Decessorem Nostrum; qui, pro sua humanitate sollerti antistitae bene precatus, laudis decreto, quod dicunt, die tertia mensis Maii, eodem anno, expedito, Institutum auctoritate Apostolica probavit. Tantam autem vim et virtutem Famula Dei e pietate duxit, cuius filiabus praebuit exemplum singulare atque luculentum. Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum et almam Deiparam Mariam excoluit diligenter et amore prosecuta est perpetuo. Quo percita, omni studio contendit, ut admissa prohiberet, hoc in ore iugiter habens: « dummodo nulla Deo iniuria inferatur! ». Eam gentis humanae Parenti ab aliis factam, supplicationibus et cruciatibus sua sponte toleratis numquam desiit piare, atque Deo ita se tradi-

derat, ut totum vitae tempus ad Eius unius accommodaret voluntatem. Itaque Sanctae Mariae Magdalenae Postel quasi imaginem summa eius similitudine expressit; quod Sanctus Ioannes Maria Vianney testatus est, cum puellae sciscitanti, in qua sodalitate religiosae vitae genus amplecteretur, Institutum Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia probaret hisce verbis: « auctor est admodum sancta, quae autem modo eius locum obtinet, ipsam consequitur vestigiis ». Praecipua vero benignitate Famula Dei fuit erga omnes homines, pauperes potissimum, maerentes, aegrotos, aetate provectos. Qua ex parte iuvat memorare, cum, anno millesimo octingentesimo septuagesimo, acre arderet bellum, eam milites minus fortunatos tecto accepisse, esurientes confirmasse cibo, vulneratis assedisse in valetudinario a se ipsa adornato. Propensissima fuit voluntate in pupillos, qui priores apud eam partes habuerunt, et quos in domibus Congregationis instituit ad rectos mores et humanitatem. Demissum gerens animum, vel qua antistita generalis nullo voluit frui beneficio, adeo ut in communi semper dormitorio cubaret. Cum sordidissimus quidam vir ei alapam duxisset, suaviter « haec », inquit, « debetur mihi, sed quid pro sacra aede dabis »? Supernis quoque muneribus cumulata, laeta in contracta paupertate acerbisque morbis, quibus diu vexabatur, digna fuit, quae immortale ferret praemium virtutis. Ecclesiae Sacramentis religiose sumptis, ut ad Sanctae Mariae Madgalenae Postel animum Institutum iugiter se excitaret, vitam Deo obtulit. Die tandem quarta mensis Martii, anno millesimo octingentesimo septuagesimo septimo, quae « Placida » appellata erat ac fuerat reapse, in Divini Salvatoris coenobio placida morte quievit. Cum frequens populus virgini iusta faceret, Episcopus Constantiensis de eius laude graviter dixit et magnifice. Anno millesimo octingentesimo octogesimo tertio, corpus in aede illa conditum est, pro qua Famula Dei tot exanclaverat labores. Percrebrescens autem in dies eius fama sanctimoniae caelestibus signis visa est confirmari. Quapropter Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem tribuendis agi coepta est, atque, post ordinarios processus, Commissio introductionis Causae, penes Sacram Rituum Congregationem instituendae, a Pio Pp. XI, rec. mem., die vicesima secunda mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto, obsignata. Apostolicis deinde inquisitionibus rite absolutis, de virtutibus theologalibus et cardinalibus Venerabilis Placidae Viel fuit disceptatum; quas, omnibus expensis ac perspectis, Nos, edito decreto die nona mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo, ad heroicum pervenisse gradum sollemniter ediximus. Exercita postea quaestione de miraculis, quae, Ancilla Dei de-

die 25 Februarii 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Capsitanae Exc. P. D. Alaphridum Verzosa et Florentin, hactenus Episcopum Lipensem.

die 20 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Voncariensi Exc. P. D. Henricum Rau, Canonicum Capituli Metropolitani Platensis, quem deputavit, Auxiliarem Exc. P. D. Thomae Solari, Archiepiscopi Platensis.

die 23 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Passofundensi, nuper erectae, Exc. P. D. Claudium Colling, hactenus Episcopum titularem Coronensem.

die 27 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Mimatensi Revmum D. Aemilium Pirolley, Vicarium Generalem Archidioecesis Bisuntinae.

— Cathedralibus Ecclesiis Terracinensi, Privernensi et Setinae, ad invicem perpetuo unitis, R. D. Aemilium Pizzoni, Archipresbyterum-Parochum loci « S. Daniele del Friuli » archidioecesis Utinensis.

— Cathedrali Ecclesiae Nursinae R. D. Hilarium Roatta, Parochum loci « Mondovì-Breo » dioecesis Montis Regalis in Pedemonte.

— Titulari episcopali Ecclesiae Dianensi R. P. Iosephum Romualdum Gerardum Mongeau, e Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae, quem constituit Praelatum Praelaturae *nullius* Cotabatensis et Suluensis.

die 28 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Kansanopolitanae in Kansas Exc. P. D. Eduardum Iosephum Hunkeler, hactenus Episcopum Insulae Grandis.

die 8 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Succursensi et Sancti Aegidii R. D. Hannibalem Muñoz Duque, pro-Vicarium Generalem dioecesis Sanctae Rosae de Osos.

die 11 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Aureliopolitanae in Asia Exc. P. D. Nicolaum Canino, hactenus Episcopum Oppidensem.

die 18 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Reatinae R. D. Raphaëlem Baratta, Antistitem Urbanum, Vicarium Generalem archidioecesis Perusinae.

die 30 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Jalapensi in Guatimala, nuper erectae, Exc. P. D. Michaëlem Angelum García Arauz, hactenus Episcopum titularem Sophenensem.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PONDICHERIEN. - CALCUTTEN.

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM ARCHIDIOECESIUM

Cum Exc.mi ac Revmi Domini Augustus S. Colas, Archiepiscopus Pondicheriensis et Ferdinandus Périer, Calcuttensis Archiepiscopus, concorditer postulassent ut territorium de Chandernagore, nuper e subiectione Gallicae Reipublicae solutum et in Indicae Unionis ditionem receptum, a iurisdictione Pondicheriensis Archidioeceseos distraheretur et Archidioecesi Calcuttensi uniretur, Emi ac Revmi Patres huic Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, attento favorabili voto Exc. P. D. Leonis Petri Kierkels, Archiepiscopi titularis Salaminensis et in Unione Indica Apostolici Internuntii, in plenariis comitiis die 29 mensis Ianuarii vertentis anni habitis, considerantes eam iurisdictionis translationem maxime suaderi propter vicinitatem su-

pradicti territorii ad urbem Calcuttensem, rem Summo Pontifici commendandam censuerunt.

Quam Emorum Patrum sententiam Ssmo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papae XII ab infrascripto huius Sacrae Congregationis Secretario in Audientia diei 8 mensis Februarii currentis anni relatam, Summus Pontifex ratam habuit et confirmavit et praesens ad rem Decretum confici mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die VIII mensis Februarii A. D. 1951.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

OFFICIUM IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS

Die 15 Augusti

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus.

Capitulum *Judith 13, 22*

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram.

Hymnus

O prima, Virgo, pródita
E Conditóris spíritu,
Prædestináta Altíssimi
Gestáre in alvo Fílium;

Tu perpes hostis fémina
Prænuntiáta dæmonis,
Oppléris una grátia
Intaminata orígine.
Tu ventre Vitam cóncipis,
Vitámque ab Adam pérditam,
Diæ litándæ Víctimæ
Carnem minístrans, íntegras.
Merces piáclo débita,
Devícta mors Te déserit,
Almíque consors Fílii
Ad astra ferris córpore.
Tanta corúscans glória,
Natúra cuncta extóllitur,
In Te vocáta vérticem
Decóris omnis tángere.
Ad nos, triúmphans, éxsules,
Regína, verte lúmina,
Cæli ut beátam pátriam,
Te, consequámur, áuspice.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sécula. Amen.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix.
℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Magnif. Ant. Virgo prudentíssima, * quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui Genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti: concéde quæsumus, ut ad supérna semper inténti; ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eundem Dóminum.

Ad Matutinum

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Cujus hódie ad æthéreum Virgo Mater assúmpta est cælum.

Ps. 94. Veníte, exsultémus.

Hymnus

Surge! Jam terris fera bruma cessit,
Ridet in pratis decus omne florum,
Alma quæ Vitæ Génitrix fuísti,
Surge, María!
Lílium fulgens velut in rubéto,
Mortis auctórem teris una, carpens
Sóntibus fructum pátribus negátum
Arbore vitæ.
Arca non putri fabricáta ligno
Manna tu servas, fluit unde virtus,
Ipsa qua surgent animáta rursus
Ossa sepúlcris.
Præsidis mentis dócilis minístra,
Haud caro tabo pátitur resólvi;
Spíritûs imo sine fine consors
Tendit ad astra.
Surge! Dilécto pete nixa cælum,
Sume consértum diadéma stellis,
Teque natórum récinens beátam
Excipe carmen.
Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ Tibi, Virgo, tríbuit corónam,
Atque regínam statuítque nostram
Próvida matrem. Amen.

In I Nocturno

Ant. Exaltáta est * sancta Dei Génitrix super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ant. Paradísi portæ * per te nobis apértæ sunt, quæ hódie gloriósa cum Angelis triúmphas.

Ant. Benedícta tu * in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix.

℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

De libro Génesis

Lectio j *Cap. 3, 9-15*

Vocavítque Dóminus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso; et tímui eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? Dixítque Adam: Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc fecísti? Quæ respóndit: Serpens decépit me, et comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia et béstias terræ; super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus; ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo ejus.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quae est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? Et sicut.

Lectio ij *Ex Epist. I ad Cor., Cap. 15, 20-26*

Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam quídem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur; unusquísque autem in suo órdine: primítiæ Christus; deínde ii qui sunt Christi, qui in advéntu ejus credidérunt. Deínde finis, cum tradíderit regnum Deo et Patri, cum evacuáverit omnem principátum, et potestátem, et virtútem. Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio iij *Ex Epist. I ad Cor., Cap. 15, 53-57*

Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem. Cum autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus

autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum Jesum Christum.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In II Nocturno

Ant. Spécie tua * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde et regna.

Ant. Sanctificávit * tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Gloriósa * prædicántur de te, Virgo María.

℣. Assúmpta est Maria in cælum : gaudent Angeli.

℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

Sermo sancti Joánnis Damascéni

Oratio 2 de Dormitione B. M. V. post initium

Lectio iv

Hódie sacra et animáta arca Dei vivéntis, quæ suum in útero concépit Creatórem, requiéscit in templo Dómini, quod nullis est exstrúctum mánibus. Et David exsúltat ejus parens, et cum eo choros ducunt Angeli, célebrant Archángeli, Virtútes glorificant, Principátus exsúltant, Potestátes collætántur, gaudent Dominatiónes, Throni festum diem agunt, laudant Chérubim, glóriam ejus prædicant Séraphim. Hódie Eden novi Adam paradísum súscipit animátum, in quo solúta est condemnátio, in quo plantátum est lignum vitæ, in quo opérta fuit nostra núditas.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣ Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes.

Lectio v

Hódie Virgo Immaculáta, quæ nullis terrénis inquináta est affléctibus, sed cæléstibus educáta cogitatiónibus, non in terram revérsa est ; sed, cum esset animátum cælum, in cæléstibus tabernáculis collocátur. Ex qua enim omnibus vera vita manávit, quómodo illa mortem gustáret? Sed cedit legi latæ ab eo quem génuit ; et, ut fília véteris Adam, véte-

rem senténtiam súbiit (et ejus Fílius, qui est vita ipsa, eam non recusávit); ut autem Dei vivéntis Mater, ad illum ipsum digne assúmitur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Lectio vj *Ex Actis Pii Papæ XII*

Quóniam vero univérsa Ecclésia fidem in corpóream Beátæ Maríæ Vírginis Assumptiónem per sæculórum decúrsum manifestávit, et totíus orbis Epíscopi prope unánimi consensióne petiérunt ut hæc véritas, quæ Sacris Lítteris innítitur, Christifidélium ánimis pénitus est ínsita, ceterísque revelátis veritátibus plane cónsona, tamquam divínæ et cathólicæ fídei dogma definirétur, Pius duodécimus Póntifex Máximus, totíus Ecclésiæ votis ánnuens, státuit hoc Beátæ Maríæ Vírginis privilégium sollémniter renuntiáre. Itaque die prima novémbris anni máximi Jubilæi millésimi nongentésimi quinquagésimi, Romæ in foro ad sancti Petri Basílicam paténte, plurimórum Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálium atque Episcopórum ex díssitis étiam regiónibus astánte cœtu, coram ingénti Christifidélium multitúdine, univérso cathólico orbe plaudénte, corpóream Beátæ Maríæ Vírginis Assumptiónem in cælum infallíbili oráculo in hæc verba proclamávit: Postquam súpplices étiam atque étiam ad Deum admóvimus preces, ac Veritátis Spíritus lumen invocávimus, ad Omnipoténtis Dei glóriam, qui peculiárem benevoléntiam suam Maríæ Vírgini dilargítus est, ad sui Fílii honórem, immortális sæculórum Regis ac peccáti mortísque victóris, ad ejúsdem augústæ Matris augéndam glóriam et ad totíus Ecclésiæ gáudium exsultationémque, auctoritáte Dómini Nostri Jesu Christi, Beatórum Apostolórum Petri et Páuli ac Nostra pronuntiámus, declarámus et definímus divínitus revelátum dogma esse: Immaculátam Deíparam semper Vírginem Maríam, expléto terréstris vitæ cursu, fuísse córpore et ánima ad cæléstem glóriam assúmptam.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In III Nocturno

Ant. Gaude, María Virgo: * cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Ant. Cæli annúntiant * justítiam ejus, et omnes pópuli vident glóriam ejus.

Ant. Cantáte Dómino * cánticum novum, quia mirabília fecit in te, o María.

℣. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum.

℟. In quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vij *Luc. 1, 41-50*

In illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres. Et réliqua.

Homília sancti Petri Canísii

De Maria Deipara Virgine, lib. V. c. VI

Férias Deíparæ sacras, ut frequénter, ita reverénter péragit Ecclésia, certo intélligens, Deo gratum, et christifidélibus dignum, hoc esse offícium, qui inter beátos et beátas omnes beatíssima Dómini et Dei nostri Mater, certis anni tempóribus ac públicis cæremóniis sæpenúmero celebrátur. Inter has autem férias, quæ tot sæculis religióse háctenus observántur, festum Assumptiónis máximum reputátur, locúmque príncipem tenet. Nec dies quidem ullus Maríæ lætior feliciórque cóntigit, si et ánimæ et córporis felicitátem eo die illi collátam rite contemplémur: ideóque si antea unquam, tunc vel máxime spíritus et ánima et corpus ejus in Deum vivum mirabíliter exsultávit, ípsaque summo iure dícere pótuit: Respéxit humilitátem ancíllæ suæ: Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes: quia fecit mihi magna qui potens est.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. Proptérea.

Lectio viij

Quare nos étiam, qui te Filiúmque tuum amámus, o ter beáta et vere augústa Mater, non póssumus huic præcláræ et incomparábili felicitáti tuæ non ex ánimo gratulári, quandóquidem quæcúmque a Dómino tibi et de te dicta sunt, tam pulchro éxitu concludúntur, ac omni ex parte tandem perficiúntur. Beáta quæ non modo credidísti, sed fídei étiam omnísque virtútis fructum et finem hódie consecúta es, et ejus quem tantópere amásti atque desiderásti, jucundíssimo conspéctu nunc demum pérfrui meruísti. Emmanuélem in castéllum mundi hujus intrántem, tanquam hóspitem, hóspita excepísti: hódie ab illo vicíssim in regále suum

palátium excíperis, et tanquam mater tali Salomóne digna magnífice primum honoráris.

℣. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. ℣. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Lectio ix

Felix dies, qui tam pretiósum munus de hujus mundi desérto transmísit, et ad sanctam æternámque civitátem ita perdúxit, ut commúne et incredíbile gáudium, nec minor admirátio cælítibus ómnibus crearétur. Felix dies, qui sponsæ languéntis tam ardéntibus quam diutúrnis desidériis satisfécit, ut quod quæsíverat inveníret, quod petíverat accíperet, quod expectárat secúra possidéret, nimírum in illa summi æterníque boni perfécta visióne atque fruitióne pénitus conquiéscens. Felix dies, qui ancíllam Dómini humíllimam eo usque provéxit ac éxtulit, ut præstantíssima cæli Regína, mundíque Dómina efficerétur, et ne áltius quidem posset assúrgere, quóniam in Regni sólio sublimáta, post Christum gloriósa resédit. Felix hic planéque venerándus dies est, qui Regínam et Matrem nobis poténtem simul et cleméntem in regno Dei constítuit ac confirmávit, ut eándem, quæ Júdicis mater assídue manet, matrem misericórdiæ nobis favéntem, apud Christum patrocinántem, nostréque salútis negótia fidéliter procurántem habeámus.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes et per Horas

Ant. 1. Assúmpta est María in cælum: * gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

2. María Virgo assúmpta est * ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3. In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4. Benedícta * fília tu a Dómino: quia per te fructum vitæ communicávimus.

5. Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum *Judith 13, 22*

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram.

Hymnus

Solis, o Virgo, rádiis amícta,
Bis caput senis redimíta stellis,
Luna cui præbet pédibus scabéllum
Inclita fulges.
Mortis, inférni domitríxque noxæ,
Assides Christo studiósa nostri,
Teque regínam célebrat poténtem
Terra polúsque.
Damna sed perstat sóboli minári
Créditæ quondam Tibi dirus anguis;
Mater, huc clemens ades, et malígni
Cóntere collum.
Asseclas diæ fídei tuére,
Tránsfugas adduc ad ovíle sacrum,
Quas diu gentes tegit umbra mortis
Undique coge.
Sóntibus mitis véniam precáre,
Adjuva flentes, ínopes et ægros,
Spes mica cunctis per acúta vitæ
Certa salútis.
Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ Tibi, Virgo, tríbuit corónam,
Atque regínam statuítque nostram
Próvida matrem. Amen.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix.

℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Bened. Ant. Quæ est ista * quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra et luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui Genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti: concéde quæsumus, ut ad supérna semper inténti; ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

AD TERTIAM

Capitulum Benedíxit te, *ut supra.*

℟. *br.* Exaltáta est * Sancta Dei Génitrix. Exaltáta. ℣. Super choros Angelórum ad cæléstia regna. Sancta. Glória Patri. Exaltáta.

℣. Assúmpta est María in cælum : gaudent Angeli.

℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

AD SEXTAM

Capitulum *Judith 13, 24-25*

Benedíctus Dóminus, quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

℟. *br.* Assúmpta est María in cælum : * Gaudent Angeli. Assúmpta est. ℣. Laudántes benedícunt Dóminum. Gaudent. Glória Patri. Assúmpta.

℣. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum.

℟. In quo Rex regum stelláto sedet sólio.

AD NONAM

Capitulum *Judith, 15, 10*

Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

℟. *br.* María Virgo assúmpta est * Ad æthéreum thálamum. María. ℣. In quo Rex regum stelláto sedet sólio. Ad æthéreum. Glória Patri. María.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.

℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus.

Hymnus Ave, maris stella.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix.

℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Magnif. Ant. Hódie * María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

Et fit Commemoratio sequentis.

Die 18 Augusti

DE QUARTA DIE INFRA OCTAVAM B. MARIAE V.

semiduplex.

Ant. Virgo prudentíssima. ℣. Exaltáta est. *Oratio* Omnípotens.

Pro Commemoratione S. Agapiti, Mart.: Ant. Iste Sanctus. ℣. Glória et honóre.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis: atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

In I Nocturno

De Cánticis canticórum

Lectio j *Cap. 4, 7, 12*

Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano: veni, coronáberis, de cápite Amana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerásti cor meum, in uno oculórum tuórum et in uno crine colli tui. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? Et sicut.

Lectio ij *Ibid., Cap. 6, 3-9; 8-1*

Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem: terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt; regínæ, et laudavérunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur, quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens inníxa super diléctum suum?

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣ Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio iij *Ibid., Cap. 8, 6-7*

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam suam, pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt. Glória Patri. Viderunt.

In II Nocturno

Ex Constitutióne Apostólica Pii Papæ XII

Lectio iv

Sanctórum Patrum ac theologórum arguménta considerationésque Sacris Lítteris, tamquam último fundaménto, nitúntur; quæ quidem almam Dei Matrem nobis véluti ante óculos propónunt divíno Fílio suo coniunctíssimam, ejúsque semper participántem sortem. Quamóbrem quasi impossíbile vidétur eam cérnere, quæ Christum concépit, péperit, suo lacte áluit, eúmque inter ulnas hábuit pectoríque obstrínxit suo, ab eódem post terréstrem hanc vitam, etsi non ánima, córpore tamen separátam. Cum Redémptor noster Maríæ Fílius sit, haud póterat profécto, útpote divínæ legis observátor perfectíssimus, præter Ætérnum Patrem, Matrem quoque suam dilectíssimam non honoráre. Atqui, cum eam posset tam magno honóre exornáre, ut eam a sepúlchri corruptióne serváret incólumem, id reápse fecísse credéndum est.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes.

Lectio v

Máxime autem illud memorándum est, inde a sæculo secúndo, Maríam Vírginem a sanctis Pátribus véluti novam Hevam propóni novo Adæ, etsi subiéctam, arctíssime conjúnctam in certámine illo advérsus inferórum hostem, quod, quemádmodum in protoevangélio præsignifi-

cátur, ad pleníssimam deventúrum erat victóriam de peccáto ac de morte, quæ semper in géntium Apóstoli scriptis inter se copulántur. Quamóbrem, sicut gloriósa Christi anástasis essentiális pars fuit ac postrémum hujus victóriæ tropæum, ita Beátæ Vírginis commúne cum Fílio suo certámen virgínei córporis « glorificatióne » concludéndum erat; ut enim idem Apóstolus ait, « cum... mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absórpta est mors in victória ».

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Lectio vj

Idcírco augústa Dei Mater, Jesu Christo, inde ab omni ætérnitáte, « uno eodémque decréto » prædestinatiónis, arcáno modo conjúncta, immaculáta in suo concéptu, in divína maternitáte sua integérrima virgo, generósa Divíni Redemptóris sócia, qui plenum de peccáto ejúsque consectáriis deportávit triúmphum, id tandem assecúta est, quasi suprémam suórum privilegiórum corónam, ut a sepúlchri corruptióne servarétur immúnis, utque, quemádmodum jam Fílius suus, devícta morte, córpore et ánima ad supérnam cæli glóriam eveherétur, ubi Regína refulgéret ad ejúsdem sui Fílii déxteram, immortális sæculórum Regis.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vij *Cap. 1, 41-50*

In illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Damiáni

In Nativitate B. Mariæ V.

Virgo Dei Génitrix, cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur, súbveni, dómina, clamántibus ad te júgiter: Revértere, revértere Sunamítis, revértere, revértere, ut intueámur te. Tu benedícta, et super benedícta, revértere per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cælo et in terra. Nihil tibi impossíbile, cui

possíbile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscépit orìginem? Accédis enim ante illud áureum humánæ reconciliatiónis altáre, non solum rogans, sed ímperans, dómina, non ancílla. Móveat te natúra, poténtia móveat, quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debébis. Potestáti enim cedit ad glóriam, injúrias ulcísci nolle cum possit. Revértere per amórem. Scio, dómina, quia benignissima es, et amas nos amóre invincíbili, quos in te et per te Fílius tuus et Deus tuus summa dilectióne diléxit. Quis scit quóties refrígeras iram Júdicis, cum justítiæ virtus a præséntia deitátis egréditur?

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. Proptérea.

Lectio viij

Revértere per singularitátem. In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia tanta concéditur. Absit ut cesset manus tua, cum occasiónem quæras salvándi míseros et misericórdiam effundéndi! neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum peniténtes ad véniam, justificáti ad glóriam assumúntur. Revértere ergo, Sunamítis, id est, despécta, cujus ánimam pertransívit gládius, quæ fabri uxor appelláta fuísti. Ad quid? Ut intueámur te. Summa glória est post Deum te vidére, adhærére tibi, et in tuæ protectiónis munímine demorári. Audi nos. Nam et Fílius nihil negans honórat te, qui est Deus benedíctus in sécula sæculórum. Amen.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum, Deum nostrum. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Pro S. Agapito

Lectio ix

Agapítus Prænestínus, quíndecim annos natus, Aureliáno imperatóre, martýrii cupidíssimus, cum propter constántiam religiónis, imperatóris jussu, primum nervis diutíssime cæsus, deínde in tetrum cárcerem conjéctus esset, ut nihil omníno per quátuor dies gustáret, e custódia est edúctus. Et, ardéntibus carbónibus cápiti ejus impósitis, Deo agens grátias, íterum afféctus verbéribus, nudus ita pédibus su-

spénsus est, ut ingens fumus e subjécto igne os ejus obrúeret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effúsa est, maxillæque confráctæ. Quo témpore judex, e tribunáli lapsus, páulo post mórtuus est. Ea re incénso imperatóre, sanctum júvenem jubénte feris objíci, cum illæ non audérent attíngere, Prænéste gládio percússus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes pro Commemoratione S. Agapiti: Ant. Qui odit. ℣. Justus ut palma.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Missa in honorem B. Mariæ Virginis in cælum Assumptæ approbata, congruum erat ut etiam officium iis adornatum esset laudibus, quæ Deiparæ Virgini ob definitum corporeæ Assumptionis dogma merito tribuendæ erant. Quapropter Sacra Rituum Congregatio supra relatum officium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ XII per infrascriptum Eminentissimum Cardinalem Pro-Præfectum approbandum submisit. Eadem Sanctitas Sua propositum schema probare dignata est; simulque mandavit ut loco veteris officii in Breviario Romano exstantis, novum hoc poneretur in posterum unice adhibendum ab iis qui Romano Breviario adstringuntur. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romæ, die 27 Aprilis 1951.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. CARINCI, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

BUFFALEN.

NULLITATIS MATRIMONII (MC COMBS - BAILEY).

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Guillelmi Bailey, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 6 Augusti 1951, hora 11 ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An sententia rotalis diei 27 Iunii 1949 confirmanda vel infirmanda sit in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Guillelmi Bailey curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Ioannes Teodori, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 7 Maii 1951.

Ovidius Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Guillaume Bailey, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 6 Août 1951, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence Rotale du 15 Juin 1949 dans cette cause?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Guillaume Bailey devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

ANNUARIO PONTIFICIO 1951

CON RITRATTO DI S. S. PIO XII E STEMMA A COLORI - LEGATURA IN TELA, TITOLO IN ORO
Lit. 1300 ($ 2,50)

ORDO DIVINI OFFICII RECITANDI SACRIQUE PERAGENDI IUXTA CALENDARIUM UNIVERSALIS ECCLESIAE pro ANNO DOMINI BIXESTILI 1952

Lit. 2,80 $ (0,50)

PONTIFICALE ROMANUM

Quatuor volumina in folio (cm. 30½ × 44½ — 22 × 33), charta optima, typis rubris ac nigris, cum pulcherrimis incisionibus aeneis.

Perfecte referunt editionem illam accuratissimam, quam Revma Camera Apostolica in lucem prodidit; cui tamen ea omnia opportune adiecta sunt, quae eam utiliter complent.

Quatuor volumina (I, II, III, IV et Appendix) soluta: Lit. 18.000 ($ 30).

Cum dorso corio contecto, planis autem operimentis linteo protectis, sectione foliorum aurea, cruce aurea in anteriore ac posteriore parte impressa; ac praeterea cum titulis in dorso, cum signaculis et cum apto pro unoquoque volumine tegumento: Lit. 35.000 ($ 60).

Corio caprino contecta per totum, cum aureis ornamentis atque aurea cruce in anteriore ac posteriore parte impressa, cum sectione foliorum aurea cum dorso titulis ornato, cum signaculis opportunisque pro unoquoque volumine tegumentis: Lit. 50.000 ($ 90).

Ut supra; ac praeterea interna operimenti parte aureis ornamentis in marginibus decorata ac serico linteo protecta: Lit. 60.000 ($ 110).

ANTONII BACCI

VARIA LATINITATIS SCRIPTA

Editio altera in duo vol. redacta

Vol. I: INSCRIPTIONES, ORATIONES, EPISTULAE

(pag. 260)

Vol. II: LEXICON EORUM VOCABULORUM, QUAE DIFFICILIUS LATINE REDDUNTUR (pag. 576)

Vol. I venit Lib. Ital. $\overline{DC}$. . ($ 1,20)
Vol. II venit Lib. Ital. $\overline{MD}$. . . ($ 3)
Duo volumina veneunt Lib. $\overline{MM}$. ($ 4)

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

DISCORSI E RADIOMESSAGGI DI SUA SANTITÀ PIO XII

XII

DODICESIMO ANNO DI PONTIFICATO
(2 MARZO 1950 - 1° MARZO 1951)

UN VOLUME IN-8° DI PAGG. XVI-584 L. 2000

DOCUMENTAZIONE DELL'AZIONE APOSTOLICA DEL SOMMO PONTEFICE ATTRAVERSO IL MAGISTERO DELLA PAROLA

VOLUMI PRECEDENTI DISPONIBILI: VI. 2 marzo 1944 - 1° marzo 1945 L. 500; VII. 2 marzo 1945 - 1° marzo 1946 L. 700; VIII. 2 marzo 1946 - 1° marzo 1947 L. 600; IX. 2 marzo 1947 - 1° marzo 1948 L. 1200; X. 2 marzo 1948 - 1° marzo 1949 L. 1200; XI. 2 marzo 1949 - 1° marzo 1950 L. 1200.

OFFICIUM NOVUM IN FESTO ASSUMPTIONIS B. M. V.

DIE 15 AUGUSTI

IN ASSUMPTIONE B. MARIAE VIRGINIS

Huius Officii duae editiones praeparatae fuerunt: altera ad Breviarium ed. Vat. apta (form. 10,5×16,5); altera vero ad quaelibet Breviaria accommodata.

MISSA IN ASSUMPTIONE B. M. V.

DIE 15 AUGUSTI

Haec Missa forma editur omnibus Missalibus apta
Typis clarissimis, rubris et nigris — Lit. 15 ($ 0,05)